

PUGNA CHAERONENSIS IN LYRICA CROATARUM MODERNA

Traditio latinitatis et generaliter antiquitatis apud populum Croatarum, qui hodie pars Jugoslaviae est, valde magna fuit. Iam ab primis aetatibus evolutionis litterarum huius populi habemus libros scriptos in lingua vulgari et latina. Multi latinistae Croatarum etiam extra fines regionis suae noti sunt ut Marcus Marulic (1450—1524), Janus Pannonius (1434—1472), Aelius Lampridius Gaerva—Crijevic (1463—1520), Georgius Siggoreus—Sizgoric (saec. XV), Boskovic R. Josephus (1711—83)—conditor physicae atomicae, Raimundus Kunic (Cunicius)—1719—1801—traductor Iliadis Homeri in linguam latinam (Roma, 1776) et Anthologiae Graecae (Roma, 1771) atque Bernardus Zamagna (1735—1820), traductor Odyssaeae (1761), Hesiodis et Theocriti in sermonem latinum. Postremus numero optimorum poetarum neolatinorum apud Croatas videtur fuisse.

Haec traditio latinitatis semper viva et fructuosa erat apud populum Croatarum. Fuerunt etiam nonnulli qui linguam graecam veterem coluerunt. Ista traditio usque ad dies nostros progressa est.

Poetae lyrici croatici in litteris huius populi modernis sicut S. S. Kranjcevic (1865—1908) et V. Vidric (1875—1909), imbuti et initiati pulchritudine lyricorum graecorum et latinorum, basin novae expressionis lyricae in litteris populi Croatarum exeunte saeculo XIX posuerunt. Eorum innovatio consistit non solum in argumentis novis lyricis, sed etiam in imaginibus novis poeticis. Haec omnia saepius ex vita historiae antiquorum populorum excerpta sunt.

Hoc modo, praecipue in opere lyrico S. S. Kranjcevic¹ existunt cum imaginibus poeticis etiam visiones et symbola antiquitatis in eius carminibus optimis. Visio huius poetae, saepe creata et extracta simili modo in lyrica est sicut illa poetae germanici Hoelderlin, non exprimit tantum animi et cordis poetae sentientis tempus suum at visionem universi, sed etiam statum rerum tristium politicarum populi croatici sub iugo domus imperatoriae Habsburgorum, oppressi sine libertate.

1) Cfr. comm. meum: *Contactus Kranjcevic cum antiquitate (Kranjcevicevi dod iri s antikom) cum summario in lingua gallica in Ziva Antika, 1958, pp. 192—209.*

Diximus optimam partem lyricam huius poetae ut ex gratia carmina : *M o y s e s , E l i , E l i , l â m a â z a v t a n i ! , V e n u s m a r m o r e a , N o x i n F o r o R o m a n o , P o s t r e m u s A d a m e t H y p o g e a C h r i s t i a n o r u m R o m a e e t p r a e c i p u e L e o C h a e r o n e n s i s* aliquam eximiam vim poeticam in expressione lyrica habere propter contactum nostri poetae Kranjcevic cum sphaera spirituali veterum Graecorum Romanorumque ; hic addamus illas visiones ex Testamento Vetere.

Haec lyricus Kranjcevic indole sua poetica fecit, quia ut poeta re vera persuasus erat poetam oportere populo suo vatem verum esse. Alio modo hanc innovationem lyricam poeta V. Vidric creavit ¹. Transpositio omnium sensuum priorum Vidric assimilavit eximie cum orbe visionis vitae hellenicae absorptione originali. Et eius innovatio expressioque eodem modo lyrice profunda et iuncta cum quaestionibus populi Croatarum in fine XIXⁱ saeculi. Ita ambo poetae in carminibus suis lyricis, ut prius diximus, initiationem novae lyricae et praecipue modernae ut veri mystagogi dederunt. Eodem facto poeta Kranjcevic, ut satisfactionem naturae suae, quae similis illius Promethei erat, ut lyricus daret, animum creativum suum saepe in orbem et sphaeram antiquitatis inmersit.

Illa eximia vis poetica nostri poetae, observatione vitae coniuncta et immersione in res historiae antiquorum, admirabilem expressionem consecuta est carmine hymnico : *L e o C h a e r o n e n s i s (M o n u m e n t u m L e o n i s a p u d C h a e r o n e a m)*. Kranjcevic, quodam entusiasmo Inflammatus, cum legeret in actis diurnis temporis sui fine saeculi XIX 4, quomodo scribit ipse in nota sub carmine dedicato Leoni apud Chaeroneam in Libro suo Carminum electorum edito a. 1898.—Societatem archeologicam graecam Athenis statuisse illum Leonem edaci tempore destructum restaurare et erigere ut novum monumentum—his verbis in margine memorata scribit : *O f e l i x H e l l a s a p u d h a s m e m o r i a s !*—Poeta Kranjcevic scribens haec verba iam creavit in phantasia sua imaginationem pulcherrimam forsan memorans lecturae orationum gloriosi Demosthenis.

Restauratio monumenti Leonis apud Chaeroneam revera incitavit lyricum Kranjcevic ut, describens illum factum ex historia veterum Graecorum, actualitatem populi sui plorantis sub iugo alienae dominationis exprimeret.

Carmen poetae lyrica expressione, qua nullum in litteris Europae aliud carmen hoc modo scriptum esse, divisum in quatuordecim tetrasticha in quibus versus syllabice expressi quatuordecim syllabis cum homoeoteleutone in fine. In versibus his, id est in originali versione, praecipua pes trochaeus, tantum unus

1) Cfr. comm. meum : *Q u o m o d o p o e t a V . V i d r i c a n t i q u i t a t e m s e n s e r i t ? (V i d r i c e v a a n t i k a)* cum sumario in lingua italica in *Z i v a A n t i k a*, 1959, pp. 200—210. etiam : K. D. Georgulis, *Ἡ καλλιέργεια τῆς ἀρχαίας κλασσικῆς φιλολογίας εἰς τὴν Γιουγκοσλαβίαν* editum in *Platone*, 1964, pp. 120—128 ; ibi pulcherrimum carmen Vidric : Mane ab eodem auctore in linguam neohellenicam tractum.

dactylus in pede tertia cum anaerusi in principio omnis versus. Ecce forma metrica compositionis carminis originalis :

— | — | — | — || — | — | — |

Nunc traductionem in versione nostra latina dabimus, ut possimus demonstrare quomodo expressio optima in lyrica populi Groatarum hoc carmine poetae Kranjcevic Leo apud Chaeroneam eodem tempore pulcherrima evocatio antiquitatis et partis historiae Graecorum et rerum tristium et lugubrium populi Croatarum praeteritarum qui ea aetate sicut servus sed leo dormiens lucem libertatis expectabat.

Carmen rhythmice tractatum est, ut hoc modo propius originalibus versibus esset :

—In luce lunae plenae dormitat in nocte occulta Caprena, vicus parvus in Chaeroneae pulvere prostratus. Id eius cubile mirum in pallore magico et pagus amiculo ex carmine velatus.

O qualis ea purpura et quomodo rubet etiam nunc sanguine madido, qui olim profluxit pro cara terra Graecorum.

Tum dea virgoque in Acropoleos cacumine acerbe lacrimavit, dum hastam eius hostis declinavit et cor eius dolore diruptum intuens hostium gloriam in marmore arcis Cadmeae et in templo suo splendentem.

Olympi pater hominum deorumque stupefactus cernens in ramo olivae in laureto sanguinem fuscum exhalantem et palmam pacis securibus collabentem.

O Hellas, etiam hodie nocte occulta dormitat Caprena vicus parvus apud Chaeroneam tuam, qui per saecula per longinqua dormitavit in pallore magico, postquam amiculo ex carmine purpureo velatus est.

In medio campo deserto multa nocte, ubi cohors sancta cecidit, in sepulchreto liberorum tuorum, formidolosus leo dormit et ungue suo et Thebas et Athenas defendit, sed interdum eius oculi marmorei lacrimant.

In serie diuturnorum annorum, prima luce cruenti diei, in vico parvo media nocte tintinnabula sonum dant ex turri sacra aediculae, quae ad sepulchretum libertatis sita est, ubi nymphae lyraque Apollinis cecinerunt.

Ah, ita omni anno tintinnabulo nocturno pulsato, leo formidolosus somno excitatus in altum incedens, unguesque acres contrahit, at auxilio orbatus animo deficit et lacrimae eius effusae in tabulam marmoream labuntur.

Ex nebula densa, quae campos circum intexit, tum in agminibus longis vixdum propius ad imaginem adumbratam umbrae accedunt, oculis similibus crystallo leonem metuendum contemplantur : Hæc caterva Graecorum antiquorum immortaliumque !

Et narrationes narrant, ut oculos eius exhilarent et carmina canunt de gloria gladii Chaeroneensis. Sed ille elinguis in tabula marmorea tremit. Lacrimas homines exanimis et dii mortui effundunt !

At Macedo in ossa Chaeronensia cadit et poenas expians caput victoriosum demittit et invocat, aegre invocat —Omnia effluxa,—ignosce, post pugnam apud Chaeroneam gloriam Graecorum protuli!

Sed leo formidolosus consurgit, oculi eius ut sanguis ardent, unguis eius contrahuntur lateraque tremescunt et elinguis leo corpore toto in tabula marmorea tremit, dum lecrimas homines exanimes et dii mortui effundunt.

Praeterita nocte media et ultima umbra sublata poeta ignotus in conspectum leonis apud Chaeroneam venit, ut lacrimas eius in sepulchreto libertatis abstergeat et in fervore recordationis iubam eius osculetur.

Tum eos luna diu in sepulchreto libertatis silentes inter se complexos cernit, nam ubique nox et campi mortui—et nihil, prorsus nihil; sed vulnus Chaeroneae tantum leo et poeta sensibus suis percipiunt.